



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod tota spes nostra & desiderium cordis nostri debeat esse in Deum, 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

stillam dulcedinis ille gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid, putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa gustaverat virgo, de qua legimus, quod latissima & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. Hanc ut reor & ipse gustaverat, qui dicebat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Quique monebat: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus: pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus.

C A P V T X X I I I .

Quod tota spes nostra, & desiderium cordis nostri debeat esse in Deum.

I. **T**V autem Domine expectatio Israel, desiderium ad quod suspirat cor nostrum quotidie, festina; ne tardaveris. Surge, propera, & veni; ut educas nos de isto carcere ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lachrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum; in cuius fortitudine ambulemus die ac nocte, usquequo perveniamus ad montem sanctum tuum Oreb. Et ego parvulus inter parvulos fami-
liz

lia tuæ, Deus Pater & virtus mea: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum. Beatus ero, si fuero admissus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me?

2. Scio Domine, scio, & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum tuum; sed fac propter honorem tuum, & ne confundas in te sperantem servum tuum. Et quis intrabit sanctuarium tuum, ad considerandas potentias tuas, nisi, si tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauderis? Si enim destruxeris, nemo est qui ædificet. Et si incluseris hominem, nemo est qui aperiat. Si continueris aquas, omnia sicca-buntur. Et si miseris eas, subvertent terram. Si omnia quæ fecisti ad nihilum redigas, quis contradicet tibi? Porro sempiterna bonitas misericordiæ tuæ, qua fecisti omnia quæcunque voluisti. Tu nos fecisti; fabricator mundi, rege nos. Tu nos creasti; ne spernas nos, qui opera tua sumus. Et quidem Domine Deus noster, nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti.

C A P V T XXIV.

Quod salus nostra ex Deo est.

1. **E** Go autem opus manuum tuarum, confitebor tibi in timore tuo, quia
 L non